

**Opera Varia**

**Noris, Enrico**

**Lugduni, 1707**

Responsio ad appendicem Auctoris scrupulorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72494](#)

# DISSERTATIO IV.

## RESPONSI O

### AD APPENDICEM

*Auctoris Scrupulorum.*



Uō obligataū in calce proximae opel-læ fidem impleres, mantissam adjicis in paragraphos tres distinctam, no-voisque iterum scrupulos excitas, præfatus, hæreticos non cessaturos conseccaria tantoperè sibi in Norisia-no volumine faventia ingerere, quoisque eadem à Catholicis improbata, ac confutata non videant. Ita cum ignores, quid tot insignes Catholici Doctores Norisio similiter de Commonitorio Vincentii scrip-serint, contendis divinare quid de eodem sint in posterū hæretici memorati Auctoris libri beneficio scri-pturi. Hoc plane est, non videre quæ antè oculos ha-bes, ac augurem prævidere, quæ postea hominum consilia futura sint. At enim Hæreticos, hæreticos tam frequenter commemoras, ut odioso nomine harum rerum sive imperitis, sive incuriosis terricula injicias, & eo de nomine subinde Norisium graviori invidia oneres, & uti speras, etiam opprimas. Cum tam bel-1e de ignorantia invincibili ratibcineris, tuam sive in Catholicorum libris, sive in Heterodoxorum de Commonitorio sententiis ignorantiam superiori ope-re demonstravi, ut verear, ne proximus fastidio sum futurus, eadem toties repetendo, quæ semel sat erat vel indicasse. Enimvero tibi ostendi, Luthera-nos summis præconiis Commonitorium excipere, illos autem hæreticos, qui Traditionem Patrum aversantur, Commonitorio pariter adversari, ea cæteras inter ratione, quod Auctor in Semipelagianis partibus fuerit. At omnes Orthodoxi Commonitorium commendant; non tamen omnes Catholici Aucto-rem Semipelagiano errore absolvunt. Norisius hoc alterum admittens, negat quidpiam auctoritatis ei-dem detrahi; cum tu secus pronunties. Ille ergo eam defendendi Commonitorii rationem iniit, quā Auctoris errore id temporis eidem innocuo, sublite di-misso, summa ac integra ejusdem libro auctoritas fit-snaretur. Evidēt inter Christianos scriptores tri-um primorum sæculorum, nullus aut tam sēpē aut gam validē Traditionem inculcavit, ut Tertullianus, qui ob indulgentiam mœchis resipiscientibus à Zephyrino Papa concessam, maluit à Catholicā communi-nione, quam à rigore accepta majoribus disciplinae recedere, ut patet ex capite ultimo libri de Pudicitia. Finge, uti sēpē facis, hæreticos Traditionis hostes ita targutari: Tertullianus fuit Montanista, ergo nullius est auctoritatis, dum Traditionem asseruit. Si quod consequens colligitur, admittis, omnium Catholicorum vocibus refelleris, qui pro Traditione adstruen-dā, iaret priores ac præcipios testes Tertullianum producent. At hostes Traditionis obseciunt: Auctor Commonitorii fuit Semipelagianus, ergo Commonitorium nullius auctoritatis censendum est. Tu hoc enthymemate auditio, concedis hæreticos acutē, imd & verè ex illa priori propositione, alteram inferre. Videsis, quid priori enthymemati de Tertulliano cum Catholicis respondeas; ac disce quā parum le-gitimum sit, quod utrobique consequens obtrudeba-

tur. Norisius sive infit, sive secūs, error ille Commonitorio, aurei hujusc libri auctoritatem contrà hostes. Traditionis incolumem defendit, quam tu errore se-mel admissio, hæreticus prodis, neficius eandem cum errore componere; unde tanquam certum firmas, quod incertum ac dubium est inter Catholicos, nemp̄ num Vincentius Semipelagianis adhæserit. Transis posteā ad Episcopos Galliæ, quorum plerosque contendis perperam à Norisio Semipelagianis adjungi. Postremō de ignorantia eorumdem invincibili litem reno-vas, & ubique scrupulos sīne fine multiplicas.

#### S. I.

*De Commonitorio Vincentii Lirinensis.*

**H**aud animum induxi aliā rursus apologiā, qm̄ in mantissam congeffisti, refutare, quā priori ejusdem parte de Commonitorio Vincentii disputa-tionem instauras. Nam ea Divis reverentia debetur, ut longè melior sit causa ejus, qui eosdem ab omni erato defendit, quā illius, qui iisdem quampiam vel innoxii erroris notam inurit. Hinc, uti recte ac pie mones, Catholici Doctores quoties in quorundam Pa-trum libris quidpiam durius effatum offendunt, benignā interpretatione illorum dicta emollire satagunt, nisi ubi nulli probabili expositioni locus esse videtur. Hujus erga Patres reverentiae insigne exemplum præ-buit S. Augustinus, qui lib. 1. cont. Jul. cap. 6. objec-tum sibi ab hæretico S. Joannis Chrysostomi testimo-nium prolixè exponit, & quod sensum ejusdem often-dat, verba ipsa Graeca Latinè reddit, ne Chrysostomus Pelagianis favisse videretur. Cæterū uti laudem merentur, qui veterum Patrum dicta benignae inter-pretationis beneficio Catholicō dogmati conciliare conantur; ita reprehensioni quām laudi proximiores sunt, qui quædam Patrum dicta veluti machinis ac per vim eas in sententias trahere pertendant à quibus illi longè procul abiere. Norisius lib. 2. Hist. Pel. cap. 11. scribit: *Hæc de Commonitorio Vincentii nostra sententia est, quam Augustinianæ doctrinae cultus, ac veritatis amor invito prorsus extorxit; non quod illud volumen ē loco ho-noris, quō nobiles scriptores illud cœrexere, dejectum ve-lim. Quarē si se invictum ac penè coactum, ea de Com-monitorio scripsisse ingenuè testatur, semel id factum sufficiat.* Tacitus lib. 2. Hist. narrat Imperatorem O-thonem hæc militibus alteram rursus pugnam poscen-tibus, dixisse: *Civile bellum à Vitellio cœpit, & ut de principatu certaremus armis, initium illic fuit. Ne plus quam semel certemus, penes me exemplum erit.* Hæc de doctrina Vincentii controversia neutiquam à No-riasio initium habuit. Doctores Lovanienses, qui anno 1576. omnia volumina S. Augustini ad optimorum codi-cum MSS. fidem exacta, summā cum laude publicarunt, tomo VII. in appendice, Reiponsonibus S. Prospere ad objectiones Vincentianas hunc titulum, sive notas præfixere: *Sunt qui arbitrantur Vincentium hunc illum suis, cuius extat Commonitorium adversus profanas omnium hærescon noritatis; certè hoc tempore in Galliis floruit.* Cui sententiae subscripterunt alii insignes Au-tores,

Q. 8

Auctores,

tores, priusquam Norisii liber evulgaretur, ac rursum ali post ipsum. At tu quod Commonitorium omni Semipelagiam erroris suspicione liberares, contra Norisium stylum strinxisti. Ille tamen in praesentia memorata sententiâ respondet: *Ne plusquam semel certemus, penes me exemplum erit.* Et quamvis ad eandem causam retractandam, una & altera operâ ipsius provoces, ille judicium eruditorum appellat, latâ interim siqua fuit, à Romanis Censoribus sententiâ contentus; Ludovicus Molina in Concordia quest. 14 art. 13. disp. 41. ac Gabriel Vasquez in p.p. disp. 89. cap. 4 & iterum disput. 91. numero 44. conati sunt probare S. Joannem Chrysostomum Semipelagianorum errores docuisse. Nullus dubito, quin optimè intelligas, quam eminentiori loco Chrysostomus sit supra Vincentium; cum tamen pro hoc unico vindicando tantum contrâ Norisium scrupulorum pulverem excites. Diothysius Petavius tom. 1. dogm. Theolog. lib. 9. cap. 5. acri contentione Chrysostomum à Semipelagianis notâ vindicat, & opposita à memoratis Theologis testimonia, benignâ expositio- ne interpretatur. Idem ante præstiterat Basilius Poncii priori parte Select. de necessitate gratiæ cap. 4. Haud sanè ille mihi laudandus videretur, qui Molinae ac Vasquii sententiam defendendam suscipiens, adducta quæque à Poncio ac Petavio S. Doctoris testimonia in finitram opinionem detorquere conare- tur. Nam quamvis ille veritatis studium forte præte- xeret, non posset eas partes implere, quin illustrissimo Ecclesiæ Doctori erroris umbras induceret, quasi malens sanctissimum Præsulem errasse docendo, quam homines de illius scriptis quidpiam finitrem judicando. Norisius in duobus Commonitorii locis quadam Semipelagianismi vestigia apparere dixit, quibus planè convictus, in eam licet invitus, sententiam declinavit. Insignis scriptor Norisii rationibus diligenter & accuratè perpensis, ait: *vidi eas esse invictas.* An- gelmi pag. 420. laudati operis, easdem rationes prouinciavit graviores clarioresque, quam ut ullius non præoccupati consensum non eliciant. Tu vero pag. 31. easdem irrisio[n]is gratiâ ratinunculas vocas. At illi ac duobus aliis vijs sunt validæ ac convincentes, ita ut eam sententiam non solum tanquam virisimilorem, sed etiam ut veram eligerent. Qui magnus es ignorantia invincibilis assertor, profectò affirmabis laudatos Scriptores rationibus illis convictos, ignorantia invincibili ita excusari, ut ea de Commonitorio afferentes, ne venialis quidem culpæ insimulari possint. Num dices, eos majorem, ac judicio de tam insigni volumine præformando debitam diligentiam omisisti, ac proinde ignorantia planè vincibili la- borasse? Hæc te major diligentia manebat, qui tam aptas, tam legitimas, tamque congruentes interpretações excogitasti, ut eximii tui ingenii acumen facile ostenderis. Hæc ergo tuas expositiones indiscessas dimittens, quasdam tantum notulas adjiciam, non ut illas quoquo modo debilitem, sed ut, si forte opus retractandum suscepis, easdem meliori formâ restaureas.

Priori testimonio adducto ex cap. 37. Commonitorii respondes, describi ibidem Prædestinatianos hereticos, non autem legitimas S. Augustini doctrinæ sectatores. Auges hocce responso numerum Criticorum Commonitorii. Nam scis hac nostrâ ætate plerisque viros pereruditos negare ullos id temporis Prædestinatianos fuisse, sed eo nomine Augustinianæ doctrinæ defensores à Semipelagianis ignominia cauſa appellatos fuisse. Ita sentiunt Lupus, Thomassinus,

Cabassutius, Contensonius, Piccinardus, aliique plures. Ex his Contensonius ac Piccinardus Vincentio alias faventes, dum verba illa capitî 37. aliter exponi nequeunt; nisi admissâ hæresi Prædestinatianâ, cum hanc ipsi fabulam ac calumiam existimarint, si superstites essent, cogerentur transire ad Criticos Commonitorii. Synodus Arauficana ait: *Aliquos verò ad malum divinâ potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam SI SUNT, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Synodus quæ Semipelagianorum errores damnavit, calumniam ab iisdem de prædestinatis ad malum à Deo ab se removens, damnat, si qui sint, ejus erroris assertores. Non ergo erat Prædestinatianorum secta eo quinto sæculo. Præterea demonstratum est solos Semipelagianos ejusmodi hæreses meminisse. Norisii de Prædestinatianis sententiam Viri doctrii eodem laudato, fecuti sunt. Unus instar omnium mihi est Cardinalis de Aguirre, qui tom. 3. Theolog. disp. 15. sect. 3. hoc de arguento disputans, num. 29. ait: *Mono me post scriptam dissertationem hanc, incidisse in opus Henrici Noris de Hæresi Pelagiana, ubi lib. 2. cap. 15. rem ipsam eruditè admodum tractat, & eandem serm sententiam tuerit.* Ecclesia Lugdunensi nono sæculo in libro adversus Joannem Erigenam cap. 4. Prædestinatianorum hæresis tam incognita, tam nova, & inaudita dicitur. Igitur dubium ex capite illo 37. propositum responsione magis dubiâ non tollitur, imo potius augetur. At dicitis pag. 6. *Fac nullum alium ejus rei testem occurgere; an non satis eſet, vel silentibus aliis, unius hujus Viri autoritas?* At Synodus Arauficana dixit, *sunt, ut plane nescierit, an reapse aliqui essent Prædestinatiani.* Qui eosdem primitus memorarunt, fuere Faustus, ac Gennadius, Viri Semipelagiani; unde eosdem etiam describens Auctor Commonitorii, in quam suspicionem veniat, jam vides.

Addis alteram responsonem: *Eſto, inquis, nullos ejusmodi hereticos etas illa re ipsa habuerit: an non potuit Vincentius, falsa quorundam relatione deceptus, aliquos esse bona fide credere?* Ridere verat serium, in quo versamur, argumentum. Ita ubique ad ignorantiam ex bona fide tanquam ad sacram anchoram in tempestate confugis. Illi qui id temporis ea propagabant sive potius Angulfianæ doctrinæ exprobabant, erant Semipelagiani, quibus si tam facile fidem Vincentius habebat, jam intelligis, quo loco idem stetisse dicendus sit. Interim quid ex Commonitorio producas, audiamus.

#### A N O N Y M U S.

**N**Os vero contrarium ex his ipsius Commonitorii verbis positivè & aperte demonstramus: *Quis unquam ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præsumpsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos ad purum necessarium Dei gratiam non putaret &c.* Ecce profitetur Vincentius ad singulos actus in bonis rebus necessarium Dei gratiam esse. Hæcne est Semipelagiani hominis oratio? Actus quo primùm creditur, vel quo fides postulatur, vel qui-cumque demum actus est, quo vita Christiana inchoatur, utique bonus est, sive in bonis rebus &c.) Et statim tibi laudatur illa tam plana, tam diserta Catholica fidei professio in ejus Commonitorio. Pag. 8. & 9.

#### R E S P O N S I O.

**Q**uod passim tibi exprobavi, cogor hic iterum repetere: nempe tè haud consultis eruditorum Theologorum libris, ad causam actitandam accessisse. Anni

Anni sunt centum, & bone, ex quo magnus Theologus in lectione Parum versatissimus, & eorum praesertim qui de divina gratia sub Augustino magistro scriperunt, docuit tantum abesse, ut laudata abs te Vincentii sententia, à Semipelagiani erroris suspicione eundem liberet, ut ea ipsa sit, securas arbitrabare, Semipelagianæ Scholæ phrasis, ac loquendi formula usitata. Auditum' unquam nomen Gabrielis Vasquez Bellomontani? Quis, inquires, Theologus audit, qui Vasquii nomen summâ cum laude non inaudiverit? Est ille Theologorum Socieratis facile princeps, licet unus Franciscus Suarez dubium illi facere primatum quibusdam visus sit. Benè. Quandoquidem tam insignis Theologi nomen tibi notum fateris, faxo, ut tibi nota quoque sit eiusdem sententia. Hic in p. p. disp. 9. cap. 8. num. 43. scribit: Horum Massiliensium dux fuit Cassianus, quem securi sunt per Galliam Episcopi serè omnes sua etatis, inter quos, ut quibusdam placet, fuerunt Vincenius Lirenensis & Galli permulti. Hoc anno 1695. Idibus Maii annus centesimus exiit, ex quo laudati Vasquii voluminis imprimendi facultas data est à P. Francisco Porres Praefecto provincie Toletanae Societatis Jesu. Quarè jam ante annos centum apud quosdam Vincentius Semipelagianisimis suspicione laborabat, ut plane ridiculum videatur, ob illud ipsum Norisium veluti gravioris criminis reum tot scriptiunculis apud Cœsures in præsentia abs te postulari, simulque reprehendi, quod plerosque Galliae Episcopos dixerit Semipelagianos; cum serè omnes exitisse tales Vasquius dixerit, nomine ob id illum intrâ annos centum in jus vocante. At quorū ista, inquires, ad verba Commonitorii? Moram tantisper feci, ut bini scrupuli tibi evellerentur. Jam audies qua nolles. Nam hæc ibidem Vasquius prosequitur: Neque obstat, quod Vincentius in libello de heresis cap. 34. contrâ Pelagium sic afferit: Quis unquam autem profanum illum Pelagium tantam viratem liberi præsumpsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos adjuvandum necessariam Dei gratiam non putaret &c. His enim verbis solum sentit gratiam necessariam esse per singulos actus ad eos adjuvandos, & promovendos, non ad excitandos, & inchoandos. Nam iuxta horum phrasim non est idem adjuvare opera nostra, et inchoare. Ita ipse dixit gratiam Dei per singulos actus esse necessariam ad adjuvandum, quasi dicat ad promovendum, id, quod Massilienses fatebantur; sed non concessit, eam esse necessariam ad inchoandum, quod Augustinus contendebat. Vereor, ne cùm primum ista intelliges, Vasquii nomen tamquam Norisio palam patravit, ejuratius sis; siquidem in altera līte, quam de Monachorum Scytharum doctrinâ Norisio intendisti, eidem locupletissime suffragatur, & hic plures, quam Norisius, Episcopos Semipelagianos in Gallia suisse affirmat; & insuper illa, que tibi tam plana, tam diserta Catholicæ fidei professio in ejus Commonitorio asseveratur, Vasquio pura puta Semipelagianorum phrasis adstruitur.

Quam vero recte Vasquez judicaverit, ex ipsis Semipelagianæ Scholæ antisignanis ostendo. Cassianus Collat. XIII. cap. 9. ait: Nisi quod in his omnibus & gratia Dei & libertas nostri declaratur arbitrii; & quia etiam suis interdum motibus homo ad virtutum appetitus possit extendi, SEMPER vero indigeat adjuvari. Quæ S. Prosper contra eundem Collatorem disputans, cap. 3. hisce refellit: Ipsos itamen laudabiles motus, appetitusque virtutum, remota gratia Dei, nude libertati ascribis arbitrii: ut boni salubresque conatus nequeant quidem proficiere, nisi Deus adjuret; possint

tamen, etiamsi à Deo non inspirarentur, incipere. Idem Cassianus cap. 17. scribit Deum esse protectorem & salvatorem: itemque adjutorem & susceptorem. Cùm prior advocat, esse protectorem ac salvatorem, in eo autem quod nobis admittentibus opem ferre confuerit, esse adjutorem. Quam pariter sententiam Prosper cap. 18. confusat. Faustus lib. 2. de libero arbitrio cap. 10. ait. Adjutorii itaque sermo duos indicat, operantem, & cooperantem; perentem, & promittentem; pulsantem, & aperientem; quarentem pariter, & retrahentem. Hoc solum nostrum est, ut qui pro fragilitate idonei non sumus, saltē querendi, & pulsandi importunitate placeamus. Ita Deus iuxta Semipelagianos adjuvabat petentes, querentes, pulsantes viribus arbitrii. Augustinus cap. 1. de Prædest. Sanct. scribit de Massiliensibus: Peruenierunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ut ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant. Videbis, an non eadem omnino colligantur ex laudata sententia Commonitorii. At illi adhuc errabant, fidei initium inter illa opera bona neutiquam reponentes, ut tradit cap. 2. Augustinus. Hilarius etiam in Epistola ad S. Doctorem ait, eam esse Massiliensem opinionem, ut adjuvetur qui cœperit velle, non ut etiam donetur, ut velit. Nempe ut adjuvetur qui suis viribus querit, pulsat, petit: non autem adjuvari, ut querat, pulsat, ac perat; qui error damnatus est can. 6. Synodi Araucanæ.

Alterum argumentum dissolvere conaris pag. 9. Verum omittis id, in quo plures Scriptores vim maximam faciunt; videlicet quod Auctor Commonitorii ter replicando illam exceptionem, si itares est, delationem Prospere & Hilarii falsitatis insimulare videatur. Cùm Benedictus III. in Epistola, qua depositionem quorundam Clericorum Hincmaro Remense instantे approbat, posuisset clausulam, si ita est sicutam, ut relationem in dabo vocantem, cùm Hincmarus eratisset, hic acriter ob eam mutilationem reprehensus fuit à S. Nicolao Papa in Epistola ad Synodum Suezionensem, quæ legitur tom. VIII. Concil. edit. ult. pag. 846. Et pag. 1916. Hincmarus Nicolao Papæ scribens, ait: Nam si inde, quodlibet est positum, si ita est, eratibem &c. Nam re-apse illa clausula, id est, falsa relatione supposita, approbat Pontificia irritabatur. Ita Auctor Commonitorii toties repetens eam clausulam, si itares est, delationem Prospere falsitatis arguere videatur. Praeteret cùm Coelestinus Papa scribat, Prosperum & Hilarium sibi significasse tantum nescio quibus Presbyteris illic licere; Auctor Commonitorii per paraphras scribit: Ut apud me quidam Urbes & Provincias reffras criminantur, ut Prosperum & Hilarium, qui quosdam tantum Presbyteros accusaverant, Urbes ac Provincias criminatos fuisse signifacret. Hec quoque omittis in responsione ad illud argumentum. At de hac paraphraſi inferius sermo redibit.

Addis pag. 11. At enim rursus quero quo teste, quo argumento, quo indicio talen interpretandi impudentiam, atque absurditatem Vincentio attribuat Norisius? Queris quo teste? Jam testes ejus rei locupletissimos tibi ostendi apud Bibliopolas Parisienses, nempe Frassenium, Antelmiū, Patres Benedictinos, duosque alios, omnes Gallos, quorum libri Parisis editi sunt. Auditum quid etiam scriperit Christianus Lupus Doctor ac regius professor Lovaniensis. Sunne tibi sex isti Scriptores fungi aut cucurbitæ? Horum quatuor adhuc superstites, non Norisii, sed sua ipsorum dicta multa, qua pollent, eruditione defendant;

Q. 3. taisque

tua que tibi voces reddent. Et illi quidem non impudentiam, non ablurditatem, non denique stuttiā, quæ ad invidiam confundant nomina addensas, sed artem Auctoris notarunt. Rursus repetis verba ex cap. 34. Commonitorii exclamans: *En ut Vincen-*  
*to ac Cœlestino vetustas erat, gratiam dicere ad singulos*  
*actus bonos necessariam.*

Tertii argumenti solutionem à pag. 12. moliris; sed quia fateris, Norisium nullam in eō vim facere, nec ipse ulla de tuo responso verba faciam. Denique concludis:

## A N O N Y M U S.

**H**ec igitur loca sunt ex quibus, nisi oculos nobis  
eruamus, palam se facturum spondebat No-  
risius, Auctor Commonitorii Semipelagianum,  
ejusque opus hæreticum esse. Vestrum sit judici-  
um, Censores doctissimi, utrum fidem Norisius  
præstiterit; utrum hæc tanti forent ponderis, ut  
propterea non modò Baronium, sed omnes ferè  
scriptores Orthodoxos impugnare debuerit, ac  
hæreticorum partes contrà Vincentii Lirinensis  
Commonitorum, imò contrà Ecclesiam Catho-  
licam sucipere. Pag. 13.

## R E S P O N S I O.

**I**lla verba, nisi oculos nobis eruamus, emphatica sunt,  
quibus ille claras ac manifestas eam in rem ratio-  
nes se adducturum spopondit, quas cùm Viri eruditū  
in Galliā accurato examine expendissent, invictas,  
graviores, clarioresque dixerunt. Ut varia sunt ingenia,  
idem argumentum his prævalidum, illis enerue ac  
debile reputatur. Probabiliter demonstrationes pro-  
suā sententiā jactabant, quas alii postea sophismata,  
ac syllogismos ex quatuor, ut inquit, terminis con-  
stantes ostenderunt. Quæ tibi plana ac diserta Catho-  
licæ fidei professo in cap. 34. Commonitorii dicitur,  
Vasquo Semipelagianæ scholæ doctrinæ censemur.  
Nusquam Norisius Commonitorum hæreticum di-  
xit. In nonnullis veterum Patrum libris damnata Chi-  
liastarum opinio legitur, nec proinde illorum libri  
sunt hæretici. Nulquam ille Baronium aut alios Ortho-  
doxos impugnavit, contrà quos hac de causâ non  
disputavit, nec ullum illorum argumentum dissolvit.  
S. Augustinus in distinguendis diebus creationis mundi,  
diversam ab aliis lententiam fecutus est. Ergone  
dices alios ab Augustino impugnatós fuisse? Rursus  
more tuo hæreticos advocas, ut Norisius in invidi-  
am ac crimen trahas. Jam didicisti Protestantes li-  
brum Vincentii exīmium, aureum, aurolum, diuinum  
nuncupare; ac solummodo Traditionis hostes eidem  
detrahere, sed illius auctoritatí nihil diminui, etiam  
Auctor in Semipelagianis partibus fuerit. Et ne  
procul ab illorum scholæ exemplum argessam, nonne  
Cassianus septem libros de Incarnatione Dominicâ,  
contrà Nestorium scripsit, qui tamen fuit Semipel-  
gianorum magister? Quid si alicubi non ex professo,  
sed obiter aliqua Semipelagianorum sententiola illi  
excidisset, invicta illa argumenta vim omnem contrà  
Nestorianos amisisse dicerentur? Sed cùm superius om-  
nis hæc accusatio contusa sit, ad alteram gradum facio.

## §. II.

*Quid de Episcopis Semipelagianis in Galliâ sentiendum.*

**I**terum de aucto Semipelagianorum numero in  
Galliâ, Norisio litem intendis, indignatus eun-  
dem scripsisse, plures ibidem Episcopos illorum er-  
tori adhäsisse. Ex Epistola Prosperi ad Augustinum

contendis, errorem illum vel in solâ Massiliensi urbe,  
vel in angusto fortassis Provinciæ tractu invaluisse,  
ac proinde perperam per universam Galliam diffundi.  
Prosperi Epistolam appellas? Audin' quid ille de Se-  
mipelagianis dicat: *Multum nos vita meritis antecel-*  
*lunt, & aliqui eorum adepro nuper famino Sacerdotii ho-*  
*nore, supereminent. Hæc ille scribebat anno 428. At*  
*id temporis sacerdos, ac sacerdotii nominibus Episco-*  
*pus ac Episcopatus designabantur. Unum ex innume-*  
*ris Paulinum audias in Epistola inter Augustinianas*  
*36. ad Romanianum de Valerio Episcopo scriben-*  
*tem: ut quem successorem sacerdotii sui simpliciter opta-*  
*bat, hunc mereretur habere collegam, cùm Augustinus*  
*coadjutor Episcopus ordinatus fuit. Itaque jam sub*  
*initium Semipelagianismi aliqui errore occupati,*  
*Episcopales cathedras ascenderant. Cùm anno 430.*  
*S. Augustinus ad superos abiisset, ac Semipelagiani*  
*acris in dies S. Doctoris de divinâ gratiam doctrinâ*  
*carperent, ac ejusdem defensores tanquam erro-*  
*rum magistrorum traducerent, Prosper ac Hilarius rem*  
*ex integrō ad Cœlestinum Papam derulerunt, qui de*  
*sui, dum in vivis erat, amicissimi Augustini honore*  
*solicitus, data ad Episcopos Galliæ Epistola, sancti*  
*Doctoris adversarios increpauit. Hæc ille scribit: Fili*  
*nostri praesentes Prosper & Hilarius &c. tantum nescio*  
*quibus Presbyteris illic licere, qui dissensioni Ecclesiæ*  
*studient, sunt apud nos proscuti, ut indisciplinatas*  
*questiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant*  
*predicare adversaria veritati. Itaque Prosper & Hilari-*  
*rus conquisti fuerant, se ut hæreticæ doctrinæ pro-*  
*fessores à quibusdam Gallicanis Presbyteris insimulati,*  
*quibuscum non raro de divinâ gratiâ disputa-*  
*bant. Nullos illi Episcopos apud Cœlestinum accu-*  
*sarunt; quia licet quidam eorundem cum Semipelagianis sentirent, Prosperum tamen ac Hilarium neu-*  
*tiquam veluti hæreticos traducebant, cùm illis sece*  
*disputationibus haud immisererent. Prosper vero ha-*  
*bitas abs se cum adversariis disputationes narrat in*  
*laudata Epistola §. Et cum contra eos &c.*

Mortuo anno 432. Cœlestino Romano Pontifice,  
ac sedente Sexto Semipelagianorum numerus latius  
per Galliam auetus fuit. Nam S. Prosper de iisdem  
initio libri contrà Collatorem scribens ait: Non ergo  
negligendum est hoc malum, quod ab occultis pravisque  
seminibus augetur quotidie, & ab ortu suo latius lon-  
giusque dilendetur; Quibus verbis erroneam illorum  
doctrinam latius per Galliam propagata testatur.  
Num putas, de una urbe vel de angusto fortasse Provin-  
ciæ tractu, ea intelligenda esse? Ante sexennium  
cùm Prosper ac Hilarius suas singuli ad Augustinum  
Epistolas scripsere, eidem significarunt quæ Massilia  
vel aliis etiam locis in Galliâ Augustinianis libris ob-  
jiciebantur. At cùm post sexennium Prosper Cassianum  
confutandum suscepisset, error ille quotidie  
auctus, ac ab ortu suo, id est, ex Massiliensi urbe,  
LATIUS LONGIUSQUE propagatus eidem dic-  
tetur. Haud hic consulendi sunt Geographi, ut lineas  
longitudinis ac latitudinis designant, ac certos in Gal-  
liâ terminos indicent, definiant, circumscribant, in-  
trâ quos Semipelagianorum factio conclusa, nunquam  
ulterius exundaverit. Cicero in oratione pro Corne-  
lio Balbo exclamat: O Cn. Pompeii sic longè latèque  
diffusa laus, ut ejus gloriae domicilium communis imperii  
finibus terminetur. At Prosper non latè longèque, sed  
latius longiusque dixit extensem Semipelagianismum,  
quem tu intrâ Massilienses muros, aut angustum for-  
tasse Provincia tractum coarctasti. Ita Jūdex de fi-  
nibus regundis, non aedes certos limites designare,  
sed

*Sed angusto tractum dicas, de quo etiam dubitas, siquidem sis: vel de angusto fortasse Provincia tractu. Cum nec ipse sim te melior agrimensor, peritores, quos, consulamus.*

Adest oppidò ex ipsa Gallia Dionysius Petavius in doctrinā Patrum versatissimus, insignis Theologus, summus idem Historicus, Geographus, Chronologus, Astronomus, ut ex ejusdem praegrandi utroque de doctrinā Temporum volumine intelligimus. Is, quod ad nostrum institutum facit, tom. 3. Dogm. Theol. in tractatu de Pelagianā ac Semipelagianā hæresi cap. 7. num. 1. pag. 621. scribit, visum fuisse S. Augustinum ita totum dare gratias, ut parum libero arbitrio relinqueret: *Quæ res, inquit, hand levem apud Catholicos & pios ejus nomini confidit, ut invidiam, praesertim Gallicanos Episcopos & Presbyteros in Lugdunensi, & Arelatensi provincia, velut Massilia, ubi tum eruditio & sanctitate florebat Cassianus &c. Illi ergo Augustinum tacite vellicabant, quod Pelagiani erroris odio in extremum alterum evelclus, plusculum gratiae & Dei auxilio tribuisset. Habes hic Episcopos ac Presbyteros Semipelagianos non solum in provinciā Arelatensi, in qua Massilia censebatur, sed in proximā etiam Lugdunensi, quæ id temporis latissimè per Galliam extendebatur. Theophilus Raynaudus in Apologiā pro Valeriano Cemelenensi cap. 3. scribit: *Erunt ergo qui existiment eam maculam Semipelagianismi esse in Valeriano minorem, quod Valerianus eo exo vixerit, eaque in regione, cuius plenique omnes Presules & viri sanctitate ac eruditione prestantes ad eundem scopulum naufragantes de initio fidei ex humana voluntatis aliquo per se ipsam nisu &c. à Divo Augustino impune dissidebant. At Cemelenum erat urbs Vediantiorum in provinciā Alpium maritimorum, cuius Metropolis in notitiā Imperii Ebredunum dicitur. Cū temet inscribas Doctorem Sorbonicum, poteris è proximo consulere socium itidem Sorbonicum, cumque interrogare de doctrinā Hilarii Arelatensis, & num Episcopi ac serē totus Clerus provincialium Viennensis ac Narbonensis Semipelagianorum placitis adhæserint. Si te fortè ad suam BIBLIOTECAM remittere velit, repones, nolle te bonâ ejus ventiā, ad libros amandari, sed malle præsentem à præsenti vivâ voce plenissimè instrui, ac doceri.**

Gennadius homo Semipelagianus, in libro de Scriptor. Eccles. ubi de Prospero, ait: *Legi & librum adversus opuscula sub persona Cassiani, quæ Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamat nociva. Attendas, quæso. Sanctus Prosper decimam tertiam ex quatuor ac viginti Collationibus Cassiani impugnavit, demonstrans duodecim propositiones Pelagianæ hæresi conformes in eadem à Cassiano tradi. Hæc asserta, ait Gennadius, Ecclesia Dei salutaria probat. Quænam erat isthac Ecclesia? Profectò non erat Ecclesia Romana, quæ nunquam dogmata Semipelagiana veluti salutaria probavit; inquit tanquam noxia damnavit, rejectis inter apocryphos libros opusculis Cassiani, ac probatis libris S. Prosperi in Synodo, ut vulgo dicunt, Romanæ, Gelasio summo Pontifice. Quænam ergo, & ubinam gentium erat hæc Ecclesia Dei probans salutaria Cassiani dogmata à Prospero infamata, tanquam nociva? Age, dic nobis, quænam & ubinam fuerit hæc Ecclesia? Erat, inquires, Ecclesia Massiliensis, ac paucæ alia in angusto fortasse Provincia tractu. Erras, Amice, erras. Unica veluti Municipalis Ecclesia non reddit suā approbatione quamplam doctrinam salutarem, sed plures seu plurimæ Ecclesie quinque provincialium Galliæ, videlicet Lugdunensis, Arelatensis, Narbonensis, Viennensis, ac Al-*

pium maritimorum, poterant quandam salutaris doctrinæ speciem doctrinæ Cassiani circumponere, priusquam quidquam de eadem Romana Ecclesia statueret. Bonifacius II. approbans Synodum Arauficanam, errores Semipelagianorum hæreseos damnavit, rem curante S. Cæsario Arelatensi, qui eam Synodum celebraverat. Vetus Annales Lirinenses in libello de vita S. Cæsarii hæc produnt: *Nam bona memoria Bonifacius Romana Ecclesia Papa, eadem collatione cognitæ, calcata intentione jurgantium, prosecutionem S. Cæsarii Apostolicâ auctoritate firmavit. Ita donante Christo paulatim (arrige aures) Ecclesiarum Antistites receperunt, quod optaverat Diabolus repentina animositate caſſare. Nam Episcopi Semipelagiani, ut ibidem narratur, Valentia coactâ Synodo, decreta Concilii Arauficanici repudiaverant, quos S. Cæsarius missus ad eosdem Cypriano Episcopo Tolonensi, ad bonam frugem, seu rectum dogma reduxit. Valentia erat intrâ provinciam Viennensem, in qua Semipelagianorum Episcoporum Synodum coactam intelligens, angustum illum Provinciæ tractum cum Prospero latius longiusque extendere cogeris, ac Semipelagianos ex municipalibus facere provincialies, etiam velis, volis, extra Provinciam. Quid ea significant: *Paulatim Ecclesiarum Antistites receperunt, quod optaverat Diabolus repentina animositate caſſare? nempe receperunt doctrinam Synodi Arauficanæ, & eam quidem paulatim. Non ergo eam Ecclesiarum Antistites anteā tenebant. Hoc est consecrarium quod longè melius ex antecedentibus deducitur, quā illæ tuæ consequentiae, quas tam sèpè hæretici tuo ore contrà Norisium eructant. Enimvero quam illi Antistites doctrinam sequebantur, cùm definitam à Synodo Arauficanâ recipere recusarent? In aurem tibi insurabo: Semipelagianam. At, inquires, erant pauci Antistites eo errore detenti; Norisius verò affirmat eos plures fuisse. Non studii Arithmeticæ, qua possim exactè calculos subducere. Petavius qui in libro XIII. de doctrinâ Temporum, totus est Arithmeticus, scribit Episcopos Semipelagianos fuisse in provinciâ Arelatensi & Lugdunensi. Numerum non designavit. Finge paucos utробique fuisse quos si jungas aliis paucis ex provinciâ Viennensi, ac cum quibusdam in provinciâ Narbonensi, itemque cum nonnullis in Alpibus maritimis, conflabis plures; cùm totum quantitatis discretae, ut dicitis, sit plus quā singulae divisiæ partes, ex quibus componitur. Jam audivisti Theophilum Raynaudum, cui Semipelagiani in eâ Galliæ regione dicuntur plerique omnes Presules, Atticâ elocutione, ut & Terentius initio Andriæ V. 28. dixit: *Quod plerique omnes faciunt adolescentuli.***

Hac planè ratione, & accuratori diligentia uti par est eum, qui antiquioris ætatis res temporum injuria vetustis quibusque libris deperditis, in bono lumine collocare contendit; non autem quemadmodum tu inaniter facis, ex ingenio argumentando, ac si in scholâ syllogizares. Hic pagellas 16. 17. 18. prolixo ac operoso arguento implexi, cujus summarium est. Prosper & Hilarius Semipelagianos apud Celestimum Papam accusantes, neminem eidem Episcopum detulerunt; cùm illos, si qui tales fuissent, præ ceteris Pontifici prodere debuissent. Kursus Celestinus in Epistolâ ad Episcopos Galliæ scribit: *Filiæ nostri præsentes Prosper & Hilarius &c. tantum nescio quibus Presbyteris illuc licere, qui dissensioni Ecclesiarum suudeant, sunt apud nos prosecuti, ut indisciplinatas quæsitiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant, predicare adversantia veritati. Cùm ergo Pontifex quodam*

dam tantum Presbyteros ibidem arguat, nulli Episcopi in Gallia Semipelagiano errori adhaerebant. Et cum Hilarium Arelatensem in inscriptione Epistola nullatenus nominet, is injuria à Norisio inter praecepsos Semipelagianæ factioñis patronos recensetur. Hæc tota est argumenti tui historia, sive historica argumentatio.

Jam superius prænotabam, Prosperum ac Hilarium solos Presbyteros detulisse, quod ab his solis tamquam hæretice doctrinæ assertores passim traducebantur, quam illis calumniam Episcopi nullatenus importabant, quamvis aliqui etiam Præfules Semipelagianorum placita comprobarent. Nam Prosper Romanum venit, ut tum doctrinam nomenque S. Augustini, tum etiam se ipsum ab impacto hæreseos criminis, Apostolicæ Sedis decreto defenderet, non ut Episcopos, imò nec ut adversarios ipsos erroneæ ac noxiæ doctrinæ accusaret; quamvis Pontifex illorum sententias ut potè Augustinianis assertis contrarias, uti à veritate aberrantes, illis verbis perstrinxerit: *Sciant omnes qui male docent, quod sibi magis discere competit, quam docere.* In inscriptione autem Epistolæ Cœlestini sex tantum Episcopi nominatim recitantur, quos inter priori loco Venerius Episcopus Massiliensis legitur, quod Cassianus cum collegis Presbyteris Massiliensis Augustinianam de divinâ gratiâ doctrinam ceteris ardentius oppugnabat; unde Semipelagiani vulgo etiam Massilienses ab Scholasticis nuncupantur.

Priusquam à Cœlestini Papa Epistola alio divertam, quedam tibi ex cap. 34 Commonitorii Vincentii Liriensis obseruanda propono. Ille ejus Epistole paraphrasem agens; *Definat*, inquit, *si itares est, ut apud me quidam urbes, & provincias vestras criminauntur, quod eas quibusdam novitatibus consentire noxia similitudines faciat.* &c. Prosper & Hilarius nescio quos Presbyteros apud Cœlestinum detulerant, sibi noxiæ doctrinæ notam inuidentes. Si vera est Vincentii paraphrasis, falsò abs te dicitur scriptum de una urbe, vel de angusto fortasse Provincia trahi; siquidem Vincentius numero plurali usus, urbes & provincias Galliae nominat. Sin vero falsa ille narravit, ut Prosperum & Hilarium urbium ac provinciarum criminaatores designans, eosdem in invidiam ubique in provinciis Galliae traheret, firmatur argumentum Norisii, quod consultò omisisti, quia optimè animadvertebas unam urbem, & angustum provinciæ tractum non posse dici urbes & provincias. Si reapse Prosper & Hilarius Cœlestino denuntiarunt, urbes & provincias Galliae noxiis Semipelagianorum novitatibus Episcoporum negligentiâ, consentire; profectò jam intelligis illorum errorem ex Massiliensi urbe in proximas Galliae provincias latius longiusque diffusum. Sin autem nihil eiusmodi Prosper & Hilarius summo Pontifici significarunt, jam perpicis, in quorum partibus Vincentius ea verba scribens, extiterit.

Transis pag. 18. ad Hilarium Arelatensem, ac dicens scire te quid Norisius in sanctissimum Antistitem commentatus fuit, ut Semipelagianum faceret: addisque ab aliis ejusdem objectiones solidè confutatas fuisse, ac ex S. Cœlestini silentio illas etiam difflari. Sanctus Prosper & eruditus quiq[ue] ex eodem, Hilarium Arelatensem in Massiliensem ordinem transcribunt. Prosper in Epistolâ ad Augustinum, descriptis Semipelagianorum placitis, ait: *Nam unum eorum præcipue auctoritatis virum S. Hilarium Arelatensem Episcopum, sciat beatitudo tua admiratorem scitatemque in aliis omnibus tuis esse doctrinæ;* & de hoc quod in querelam trahit, jampridem apud sanctitatem tuam

sensus suum per literas velle conferre. Hæc ipsa comedem tempore Hilarius ad S. Doctorem scribens, Hilarii Antistitis nomen maluit subtitere: *Sed planè illud, inquit, tacere non debeo, quod se dicant tuam sanctitatem, hoc excepto, in factis & dictis omnibus admirari.* Potuitne, si sapere volumus, clarius cum Semipelagianis Hilarius numerari à Prospero, dum unus EORUM dicitur? Neusser pag. 50. Prodromi Vellitaris num. 6. ait, Hilarium dici unum eorum, qui à S. Augustini sententiâ de prædestinatione ad gloriam ante prævisa merita discedebant, quæ sententia etiamnum à pluribus Scholasticis defenditur. Hæc scribitis, quia S. Doctoris libros aut raro aut faltuatum legere consuecritis. Augustinus Epistolis Prosperi & Hilarii non binas literas, sed binos libros reposuit, unum de prædestinatione Sanctorum, alterum de dono perseverantie, in quibus sigillatim respondet iis omnibus, quæ sibi in duabus illis Epistolis propounderuntur. At enim in cap. 21. de dono perseverantie respondens ad ea, quæ sibi de Hilario Arelatensi significabantur, ait: *Videant tamen ii, quibus amantibus me ingratus esse non debeo, qui præter hoc quod in quaestionem venit, omnia mea, sicut scribitis, se proficentur amplecti: videant, inquam, utrum in primi libri posterioribus partibus &c. remanserit aliquid, quo vocetur in dubium, gratiam Dei non secundum merita nostra dari: & utrum ibi non sat egerit, etiam initium fideli esse donum Dei.* Addit ex dictis ibidem colligi, perseverantiam esse speciale donum Dei. Ex his patet S. Augustinum illud quod in querelam ab Hilario Arelatensi ejus alias admiratore trahebatur, fuisse placitum de initio fidei, ac gratiâ omnes bonos actus etiam tantummodo inchoatos antecedente, in quo Semipelagiani aberabant. Vos audetis negare Hilarium Arelatensem cum Semipelagianis quod attinet initium fidei ex nobis sensisse, cum illum unum eorum fuisse Prosper tam claram ac tam discrete testetur, idemque Augustinus affirmet. Vos ob Hilarium in Semipelagianos à Norisio relatum, hunc repetitis accusationibus impetratis, ac veluti hagiomachum apud judices insequimini, cum insignes Scriptores ante Norisium idem de Hilario iudicium tulerint. Lucas Holstenius vir sacrae ac profanae eruditionis peritissimus, in Animadversis ad Martyrologium Romanum ad diem 5. Maij, ait, *Fuit diversus ille Hilarius ab Arelatensi Episcopo: Nam Arelatensis Massiliensis favebat contra Augustinum.* Et paulò inferius: *Hilarium autem Arelatensem Semipelagianos aliquando contra S. Augustinum foviſe, evidenter probat Auctor Antiq. Eccles. Britann. pag. 345.* Editus fuit Holstieni liber Romæ Anno 1663. nemp̄ decennio ante Historiam Pelagianam Norisii. Franciscus Maria Florentinius in eruditis notis ad Martyrologium sub die 5. Maji, adverit eundem Hilarium in Semipelagianorum factioñe recitari, addens: *Non inde necessario infertur in iisdem dubiis fortasse ab Augustino solitus, permanuisse, & Semipelagianis de cetero faxisse.* Sirmondus in notis posthumis ad Epist. 2. Cœlestini tom. II. Conc. edit. Labbeane pag. 1818. arquit eos qui Hilarium Episcopum confundunt cum Hilario, qui de Semipelagianorum sententiis ad Augustinum scriptis: *Non animadverentes scilicet Epistolam illam, quæ tota est pro defensione S. Augustini, congruere Hilario Arelatensi non posse, qui Augustini doctrinam, ut Prosper in Epistola sua testatur, cum in ceteris suspiceret, hac in parte non probabat.* Theophilus Raynaudus in opere de bonis ac malis libris num. 581. pag. 326. ait: *Unde discimus Hilarium Arelatensem, aliosque Gallicanos Episcopos ac Doctores in libros Augustini*

*fini strinxisse censuram, quos Cœlestinus I. Epistola ad Episcopos Galliæ severè & fortiter compescuit &c.* Ludovicus Thomasius Dissert. 13. in Synodos num. 30. scribit: *Ergo si de Hilario Arelatensem Episcopo, si de Vincentio, si de Cassiano, de Gennadio, &c.* Ita Hilarium priori loco inter Semipelagianos, de quibus ibidem loquitur, recenset. Sammarthani fratres tom. 1. Gallia Christianæ pag. 36. narrant Proserum scribere ad Augustinum, *Hilarium Arelatensem runc fuīse Episcopum, & ipsius doctrine contrarium.* Et recitato Proserpi testimonio, *imò patet, inquiunt, ex literâ Proserpi, quod Hilarius Antiles faveret Semipelagianis.* Hec viri eruditissimi antè Norisium de Hilario Arelatensi testati sunt.

Hic more solito non dicam ad fastidium, sed ad risum tuos hereticos in scenam deducis, qui abs te infrastructi, ex Norisii sententiâ grande malum contrâ Divos eructent. Nam cum auctor noster scribat turpe videri asserere sanctos Monachos è monasterio Lirinensi ad Episcopatum enectos, videlicet Honoratum Arelatensem, Maximum Rejensem, ac Lupum Trecensem, Semipelagiano errore detentos fuisse: Tu contra objicis.

## A N O N Y M U S.

**Q**uandiu Lirinense Monasterium velut alteram Semipelagianismi arcem insimulabat, tandem ex Norisio probabant hereticî nullos esse, qui minus quam tres isti, ab illo errore vindicari possint. Addent ipsum rationi, qua hos alicubi existimare visus est, paulò post derogasse: & quamvis sic loquatur pugnantia, haud tamen ab eo refelli, que tam alleveranter, tantaque contentione de Lirinensi, siue Semipelagianismo asseruit. His verò stantibus ea pariter firma consistere, quæ ipsi ex ejus assertioneibus concludunt. Hanc hæreticorum responsionem non video quæ refellere posset Norisius. Pag. 20.

## R E S P O N S I O.

**C**um Cassiani Collationes, & has inter decima tertia ubique Semipelagianis erroribus aspersa, à Lirinensibus, quibus ea Collatio nuncupata fuerat, legerentur, quibusdam illorum Monachorum doctrina illa erronea illusit. Joannes Garnerius, qui de rebus Pelagianorum accurè scriptis, in Dissert. 1. de Auct. ejusdem Heretis pag. 150. notarum in Marium Mercatorem ait: *Denique siqua Pelagiani erroris fuligo Lirinensibus adhæsit, UT ADHÆSIT SANE, ea certè non ex Juliani, sed ex Cassiani Societate, & multis quidem antè annis, ut ex Commonitorio Vincentii colligitur.* An non ipsissima Norisius de Lirinensibus, deque Commonitorio Vincentii in literas misit? Christianus Lupus Augustinianus immensæ lectionis vir. tom. IV. in Synodos, in notis ad Can. 22. Dictatus S. Gregorii Papæ VII. ait: *S. Augustini de divina gratia ac predestinationis efficacia doctrinam Sulpicius Severus, Lirinensis Vincentius, aliisque olim Gallorum Clerici & Monachi oderant pessimè &c.* Joseph Antelmius Canonicus Foroujiliensis, in cuius urbis diœcesi Lirinenses censabantur, hac pag. 127. laudati alias voluminis scriptit: *Faukus, Valerianus, alii que valentissimi Massiliensis & Aëcclæ defensoresque dignitate aucti, & ex spectabilibus Monachis, Abbates, mox ex Abbatibus Praefules creati &c.* Ita Lupus ac Antelmius Semipelagianismum in alia à Lirinensi monasteria inducent, quem Norisius ad paucos unius Lirinensis insulæ Monachos restrinxit. Lupus Severum Sulpitium Monachum insigñem: Antelmius verò Valerianum Cœmenensem

etiam post validam Raynaudi apoligiam, inter Semipelagianos recensent, quorum neutrum Norisius nominavit. Hilarius antequam sedem Arelatensem indipisceretur, Vincentius, ac Faustus Abbas, Semipelagianis partibus addicti, Monasterium Lirinense incoluerunt. Hos partim ex Proserpi Epistolâ, partim ex illorummet scriptis Norisius tot aliis sibi suffragantibus testibus, Semipelagianæ factioni studuisse pronuntiavit. At unâ simul fuere in eodem Monasterio Honoratus Abbas, Maximus, ac Lupus. Norisius de iisdem scribit: *Turpe est enim sanctos illos viros, quorum errata nullo certo testimonio constant, in depravata sententia suspicionem vocare.* Quid ex his Norisii verbis, heretici opponere possunt? Quæ in illius dictis antilogia? Ille dixit turpe esse, non quidem illos tres Viros sanctissimos cum Semipelagianis sensisse; sed turpe esse historico sine teste, sine vetustis tabulis, Viris Sanctis nominatim illum errorem impingere. At inquis, nulla etiam extant scripta tot aliorum Gallia Episcoporum, quos tamen Norisius facit Semipelagianos. Rem intellige. Putasne tres illos tantum Hilarium, Vincentium, ac Faustum in Lirinensi familiâ Semipelagianos à laudatis auctoribus reputatos, ita ut ceteri Monachi Augustinianam doctrinam sequi iisdem credantur? Evidè plures, vel ne tibi molestior sim, aliquot alii fuere, quos tamen turpe est historico nominatim sine teste designare. Ita pariter præter Hilarium Arelatensem, ac Faustum Rejensem, alios Episcopos in Galliâ in Semipelagianorum partibus fuisse ex Proserpo, Gennadio, Bonifacii Papæ Epistolâ, ac tot insignium Scriptorum testimoniis demonstravi. Neminem tamen illorum possumus ex arbitrio, sine teste, nominatim indicare. Scimus Episcopos Orientales, aliosque Nestorii partes sovise. Theodosius Imperator Canonum Ecclesiasticorum executor, emissâ sacrâ, quæ legitur par. 3. Synodi Ephesinæ cap. 47. jussit Episcopos obstinate Nestori adhærentes è sacris sedibus expelli. Nomina Schismaticorum ex Actis Ephesini nota habemus; at quinam illorum nominatim pulsâ fuerint, ignoravimus, quoque nominatim eodem nobis prodidit cap. 190. inter Epistolas Patrum à Christiano Lupo publicatas. An non temerè antè hanc notitiam quispiam quosdam illorum pro arbitrio nominasset? Ita aliqui, plures, ferè omnes, plerique omnes, ut variè numerunt Scriptores efferunt, Episcopi Semipelagiani in Galliâ quinto saeculo fuere. Neminem, duobus exceptis, nominatim, speciatim, & ut notiori tibi voce utar, individualiter designare potuit Norisius, cuius nomine tibi, ac tuis, quoquecumque fingas hæreticis hocce responsum datum habeto.

## A N O N Y M U S.

**N**eminem deinceps futurum arbitror, qui exceptissimos Galliæ Praefules, aut adversus Vincentium Lirinensem, ejusque Commonitorium, non fateatur (quod nobis sufficeret) saltem æquè probabilita esse, quæ ex adverso opposuimus. Pag. 20.

## R E S P O N S I O.

**A**equumne, an æquo plus minusve postules, incertum. Aequum petere videris, dum allata abs te argumenta ac conjecturas cum oppositis Norisii rationibus ac testimoniis æquare contendis. Quis enim tantam animi tui moderationem ac modestiam non miretur, qui cùm tam multis contrâ Norisii sententiam hactenus disputaveris, satis bene tecum actum putes,

putes, si paria cum adversario fecisse judicetis. Etenim arbitrabar fore, ut tuam opinionem non modo oppositā probabiliorem, verū etiam, dum sanctos tueri contestaris, longē tuitiorem haberi velles. At quorū ista *æquè probabilita*, ò bone Vir? Si semel abs te contrā Norisii librum producta *æquè probabilita* esse à Censoribus judicentur, neutra opinio proscribi poterit, quia improbabilia tantum censuræ subjiciuntur. Quæ *æquè probabilita* sunt, æquali gaudient immunitate à censurā. Sufficit tibi tua ratiocinatio *æquè probabilita* esse. Sufficit & Norisio sua *æquè probabilita* censeri. Cūm testeris, tuos te tantum scrupulos contrā Norisii librum adducere, plus & quo postulas, dum tibi asserta *æquè probabilita* ac à Norisio scripta, haberi posse speras. Nam scrupuli ex levibus ac debilibus fundamentis oriuntur, quibus nunquam possunt ad usque probabilitatem assurgere. Hinc, ut probè noris, conscientia scrupulosa à conscientiā opinativā à Theologis distinguitur. Opinio enim probabilis est, quæ rationibus magni momenti innititur, aut magnorum Viatorum auctoritate fulcitur. Illa intrinseca: hæc autem extrinseca probabilitas appellatur. Porro rationes Norisii dixerunt Viros eruditos esse *invictas*, ac *graviores*. Tantum probabilitatis intrinsecae Norisii opinioni inesse judicarunt. Quæ vero ac quanta eidem extrinsecus probabilitas adveniat ab auctoritate Vasquii, Garnerii, Petavii, Raynaudi, Lupi, Thomassini, Frasenii, Antelmi, aliorumque locupletissimorum testimoniū, nullus non videat. Michael de Elizalde lib. 2. de rectâ doctrinâ morum quæst. 5. huic titulum paragrapho IV. præfigit: *In quo consistat probabilitas opinionibus dari solita.* Et statim rem declarans exorditur: *Hac probabilitas consistit in impunitate alicujus opinionis, vi cuius defendi, vel ediposse, sine ullâ censurâ, norâ, aut impedimento.* Liber Norisii semel, iterum, ac tertio Romæ in examen in supremo Quæsitorum Fidei tribunali vocatus, licet etiam legitur, nec ullâ constat censurâ insignitum fuisse. *Æquum ac bonum factum: quod te quoque æqui bonique facere non tantum oportet, verū etiam necesse est.* Num vero hæc eadem impunita tuos scrupulos maneat, haud potis sum divinare. Tu videbis. Denique æquo minus præter opinionem, opinioni tue deprecari. Nam rationes Norisii irrisio-nis causâ *ratiunculas* dieis pag. 31. prorsus nullas pag. 25. vanum, fallax omni ex parte argumentum pag. 6. Ne quidem probabilibus argumentis nitit. Pagina 21. Tua vero argumenta tanti facis, ut pag. 20. scribas: *Non video qui refellere possit Norisius.* Et pag. 28. *Non videmus qua ratione refelli possint.* Quod attinet probabilitatem, quam extrinsecam dicunt, scribis pag. 22. *Neminem hactenus vidimus.* Et pag. 11. *quaero, inquis, quo teste, quo argumento &c.* Et quod nullos illi testes suffragari arbitrabare, pag. 28. *dum sciam, inquis, ad quos legendos me remissurus sit.* Itaque si Norisii opinio nullâ aut intrinsecâ, aut extrinsecâ probabilitate fulcitur: & ex adverso tua sententia utraque ea probabilitate roboratur, ac firmissima utroque latere consistit, nimium profecto eidem de probabilitate derogas, cùm rogas, ut tua opinio in pari probabilitatis gradu cum Norisianâ collogetur.

## §. III.

*Quæ ac qualis fuerit ignorantia Semipelagianorum.*

Cum hactenus insignia dederis ignorantiae vincibili exempla, ac præsertim apud Bibliopolas Parisienses, transis ad ignorantiam invincibilem, in qua pariter tam multa tua vincibilis exempla renovas, ut

planè ægrè ac molestè seram, tuis hisce scriptiunculis cogit tam multa dicere, ac nihil interim discere.

## A N O N Y M U S.

Itaque de Massiliensium, hoc est Semipelagianorum Doctoribus, adeoque maxime de Episcopis, generatim affirmat Norisius, ut vidimus, ejusmodi illos fuisse, ut allatâ luce oculos obstinatissime clauserint, ne viderent. Qualis profecto accusatio nulli etiam de vulgo, multò minus tot ac talibus, Viris, nisi evidentissime probata, imponi debuit &c. Non potuerunt, inquit, ex ignorantia invincibili, hoc est inculpabili bonaqua fide errare. Quid ita? Quoniam Augustini libris edocti, & Prosperi & Hieronimi disputationibus instruti erant, ac plurimâ lucce collustrati; cùm aliunde & ingenio & eruditio ne pollerent. Hæc tota ratio. Pag. 21.

## R E S P O N S I O.

Intermissam de ignorantia invincibili Massiliensium disputationem, majori impetu iterum instauras, quod sanè mihi pergratum fatetur; siquidem campum aperis, in quo ab initio causam exorsus, in eadem latius excurras. Etenim quæ superius de ignorantia vincibili Semipelagianorum adstruxi, exercitii gratiâ à me dicta sunt, ut te eo quoque loco refellere; non quid Norisii defensio id certamen exposcerat, à quo citrâ prævaricationem poteram abstinere, teque ad hunc ipsum locum remittere, ubi nullum planè locum esse tuae illi ignorantiae invincibili animadvertes, ni contradicendi prurigine, omnia velis, aut certè similes ignorare. Ad rem.

Norisius in Appendice assutâ Historie Pelagianæ cap. 2. narrat Rodericum de Arriaga tom. 1. in p. p. disput. 36. num. 11. hæc scribete: *Nomine priorum & antiquorum, de quibus Prosper, non intelligi sanctos Patres, sed Massilienses aliquos Episcopos, & Viros moribus & pietate insignes, invincibiliter ut puto de multis, Semipelagianos.* Hic Auctor putans jam tum Semipelagianos errores ab Ecclesiâ damnatos fuisse, ut multis Viros pietate insignes heresios culpâ liberaret, ignorantiam invincibilem eosdem passos autemavit. Ita ii, quibus non est sufficienter prædicatum Evangelium, dicuntur pati ignorantiam invincibilem mysteriorum fidei Christianæ, quia non possunt credere nisi volentes, & ad incognitum non potest ferri voluntas; ac proinde appellantur infides negativæ, ut ejusmodi infidelitas nullatenus peccatum judicetur. Norisius eo loci suppositâ opinione Arriage, videlicet quod id temporis heresis Semipelagiana prædamata fuerat ab Ecclesiâ, probat Massiliensium ignorantiam non potuisse esse invincibilem; quia Cassianus, Hilarius, aliquique fuerit viri doctissimi, iisdemque vera sententia à S. Augustino tot libris manifestata, ac declarata fuerat; unde infert illorum ignorantiam perperam ab illo Auctore invincibilem putari. Consideres, quæsio, Arriaga sententiam, quam ibi Norisius refellit: *Invincibiliter tamen, ut puto de multis, Semipelagianos.* Non ait id se putare de omnibus, sed de multis. Itaque si multi Viros moribus & pietate insignes fuere invincibiliter Semipelagiani; multi è contraria, aut si mavis, saltem pauci, fuerunt invincibiliter Semipelagiani. Jam peto abs te, in hac alterâ classe reponitne Episcopos Doctores, vel rudes tantum ex imperita plebe? Si primum dicas, totus in Norisii sententiam transis. Sin alterum eligas, majorem ac crassiorem ignorantiam Viros doctissimos, quæ in rudioribus plebeis afficias; si qui-

**G**uidem ignorantia vincibilis minor est quam invincibilis, quia illa adhibito studio ab homine superari potest; secus autem invincibilis. **H**ec quæ obiger ac supposita Arriaga opinione, Norisius scripsit, nihil faciunt ad ignorantiam invincibilem extram illam Suppositionem, nempè si nondum error ille heretico damnatus fuerat ab Ecclesiâ, ita ut ex ignorantia sententia ibidem à Norisio refutata, de ignorantia invincibili omnium, vel saltem doctissimorum ac sanctorum Semipelagianis faventium, contrâ eundem disputationi occasionem frustâ arripiueris.

Haec tenus veluti castris, intrâ quæ laudato loco Norisius suam sententiam continuit, validè propugnatis, abs te provocatus, ex iisdem erumpo, ac in campum, in quo tam multa de ignorantia invincibili Semipelagianorum jaegas, descendo. Hec tibi singis, Norisium afferere: *Non potuerunt ex ignorantia invincibili, hoc est inculpabili, bona fide errare.* Imò tu eadem semper chordâ aberras, cum solam ignorantiam invincibilem putas esse inculpabilem ac bonæ fidei. Nam demonstratum est, ignorantiam quoque vincibilem, si sit eorum quæ nullâ lege scire tenemur, esse inculpabilem ac bona fidei. Qui laxas opiniones in Ethicam Christianam induxerant, ignorantiae invincibilis beneficio, plerasque pravas hominum actiones à formalî malitiâ vindicare pertentarunt, afferentes esse solummodo materialia peccata; undè apud illos ignorantia invincibilis dicitur longè latèque extenditur. Verum qui sanctorum Patrum, veterumque canonum statuta sequi prostantur, ignorantiam invincibilem intrâ angusta spatha non modò redegerunt, verum etiam dubium fecerunt locum, in quo possit illa tutò consistere. Ante annos centum Gabriel Vásquez, t. 2. disp. 124. cap. 1. scriptis: *Ceterum haec non satis explicatum manet, unde dignosci potuit, quando ignorantia sit vincibilis, quando autem invincibilis; cum adhuc dubium sit, quando homo adhibere debeat diligentiam ad vincendam ignorantiam.* Et nuper Michael de Elizalde lib. 5. de rectâ doctrinâ mortuum quest. 10. §. 4. pag. 45. ait: *Vix sciri potest, an ignorantia invincibilis sit, an vincibilis?* Hinc intelliges rationem quam ab ignorantia invincibili ad sanctitatem veterum Patrum Galliarum descendam, deducis, ab iis magnis profecto Theologis dubiam, incertam, ac planè difficultem judicari; cum tamen modus alter, quo Norisius eorumdem Patrum sanctitatem cum doctrinâ errore componit, haud ejusmodi difficultatibus implicetur, sed eo eruditiores quique utrantur in Semipelagianorum pietate vindicandâ. Præterea cùm ignorantia in intellectu, ac difficultas in voluntate sint defectus ex originali peccato derivati, divine gratiæ auxilio opus est utrumque vitium penale superandum, quæ est Catholica doctrina, juxta quam creditimus illustrationes intellectus ad cognoscendum verum supernaturalis ordinis, & inspirationes voluntatis ad prosequendum bonum prout oportet ad salutem, divinâ gratiâ nobis donari, quod utrumque can. Synodi Arausianæ II. decrevit, & passim in S. Augustini libris occurrit. In libro primo ad Bonifacium Papam cap. 3. scribit omne peccatum fieri, vel ignorantia veritatis, vel delictatione iniquitatis, vel propter malo & cæcitatâ & infirmitatis. Et lib. 2. de Peccat. mer. & remiss. cap. 17. Ignorantia igitur, inquit, & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat, quod non delebat, gratia Dei est &c. Quæ cap. 18. & 19. validius inculcat. Hinc colligimus di-

ligentiam necessariam ad assequendam veritatem, non fundari tantum in industriâ, quæ viribus naturalibus haberi potest, sed præcipue desumi a divina gratia adiutorio, quæ mens illuminatur ad cognoscendum verum, ac ad penalem ignorantiam depellendam. Quæ gratia cum plerisque sit precibus impetranda, dubium postea exoritur, an tantum quantum & poteras, & debebas, oraveris, ut gratiam ad ignorantiam vincendam obtineres. Nuper hac de re doctissime scripsit Reverendissimus P. Thyrus Gonzalez Patrum Societatis Præpositus Generalis Dissert. XI. de recto usu Opin. Probab. cap. 5. §. 3. à nu. 34. Nam ut Dei præcepta non dicuntur impossibilia, quamvis humanis viribus adimpleri non possint, quia servari possunt cum auxilio Dei; ita nec ignorantia dici potest absolutè invincibilis, quia licet vinci non possit attentis viribus humani intellectus, superari tamen potest, ab intellectu prout divina illustrationis gratia adjuvatur. Hæc mihi superiùs notata, hic consultò placuit repetere, ut quæ de ignorantia invincibili objectas, facilius clariusque refellerem.

Quemadmodum scientia major, minorve esse solet, ita ignorantia suos pariter gradus habet, nec eadem in omnibus circa eamdem rem reperitur. Loquamur de ignorantia Semipelagianorum: De his scribit S. Prosper in præfatione ad Capitula Gallorum; Sancti Augustini doctrinam quibusdam visum est, aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo, reprehendere. Posteriorum erat ignorantia affectata, male fidei, ac planè culpabilis: qualis profecto non erat aliorum, qui non intelligebant. Hec vero vincibilis, an invincibilis esset, neutquam constat, quis incertum est, quam illi diligentiam adhibuerint, & an humano studio preces, & an tantas, quantæ erant necessariae, ad veritatem assequendam, addiderint. Idem Prosper in Epistolâ ad Rufium loquens de objectionibus, quibus Massilienses S. Augustini doctrinam impugnabant, ait: *Sed videant, quomodo se à dedecore istius exulant falsitatis, qui possunt tam inepta confingere, si hi, quorum abutuntur auribus, aliquantulum diligenter ad cognoscenda ea, quæ præstantissimus Minister gratiæ disputavit, intenderint; licet omnem istius inquisitoris moram ipsi, qui hæc loquuntur, prævenire deberent.* Itaque in factione Semipelagianorum, ignorantia auditorum erat vincibilis, seu talis à Prospero affirmatur, cum nec aliquantulum diligentia ad percipiendam S. Augustini doctrinam collocarent. Doctores vero, qui diligentioris inquisitionis moram, teste Prospero, sustinere recusabant, ignorantia similiter invincibili laborabant. Hæc tamen nulli lethali culpe imputabatur, quia erat ignorantia rei, quam scire nondum Ecclesiæ lege tenebantur. Concedis illis alias obscuris de divina gratia questionibus multum lucis ex Augustini scriptis affulisse. Verum opponis.

## A N O N Y M U S.

„**S**ed numquid hinc consequens est in controversia, si nulla unquam fuit, subtilissima & obscurissima, quæ non diu ante agitari cœperat, haud potuisse satis adhuc caliginis superesse, ut multa quamvis bona ingenia, quamvis sincere veritatem inquirentia, nondum tamen illam assequi, & à finitimo errore separare valerent. Pag. 22.

## R E S P O N S I O.

**Q**uamvis concedamus illos sincerè veritatem investigasse: undè habes eos tantam, quantum poterant, diligentiam veritati comparandæ impendiisse?

disse? Unde habes, illos humano studio preces quoque ad obtinendam cœlitus illustrationis gratiam junxisse? Hæc potis es credere; non potis es neganti persuadere. At inquires, erant Viri pietate insignes, unde haud licet dubitare, quin etiam oraverint, ut cœlitus sibi lumen infunderetur. Verum neque hac sati sunt ad ignorantiam invincibilem inducendam. Audias S. Doctorum in lib. de Nat. & grat. cap. 17. Aliud est enim non curasse scire, quæ negligentia peccata etiam per sacrificia quedam legis ridebantur expiari. Aliud intelligere velle nec posse; & facere contraria legem, non intelligendo quid fieri velit. Unde admonetur a Deo petere sapientiam, qui dat omnibus afflueret; utique his omnibus, qui sic petunt, & tantum petunt, quomodo & quantum res tanta petenda est. Unde ergo scis, eos sic petuisse, & tantum petuisse, quomodo & quantum tanta veritas petenda erat? Hæc res est facti, quam divinare quidem potes, non autem probare.

Præterea S. Prosper cap. 1. contraria Collatorem scribit: Unde ergo hec diligentia tam se veri emerit examini? unde in hanc austeriorat em supercilium se tetrix et frons armavit, ut mensuras sensum, pondera locutionum, numeros syllabarum insidiosus scrutator eventilet, magnimque se aliquid confidere presumat, si Carbolico prædicatori Augustino notam erroris assigat? Semipelagianæ ergo scholæ Doctores, quorum princeps Cassianus toto eo opere à Prospero impugnatus, S. Augustini libros legebant, non ut discenter, sed ut contradicerent quo averio ab Augustinianis sententiis animo impediebantur, ne in eisdem doctrinam procul ab amore & odio inquirerent. Videbis, num tu quoque cum Norisi libro legisti, amoris & odii causas procul haberis. Hic plane memoranda sunt, quæ pag. 26. hujusque paragaphi scripsisti, videlicet: Cum Viris aliqui sanctissimi sepe contigerit, sic ad errorum diutissime adhædere non sponte suâ, sed invitîs, ac veri specie & alterius ODIO deceptis. Hoc uno verbo majoribus litteris expresso, totius tuæ defensionis ab invincibili ignorantia deducere, nervos succidisti. Nam qui odio contraria quampiam sententiam præoccupatus, veritatem inquirit, is profectò haud animo sincero, id est, quacumque passione vacuo, ad veritatem investigandam accedit. Id vel Tacitus loquitur initio librum Histor. In corruptam, inquit; fidem professis, nec amore quisquam, & sine odio dicendus est. Repones, illos deceptos odio opposita sententia, non antequam de utrius veritate liberarentur; sed postquam uni, quæ sibi ipsis vera apparuerat, adhæserent. At hoc odium impedimento est, ne major diligentia instauretur, studiumque etiam atque etiam intendatur, ut melius eadem sententia examinetur. Sancti Augustini postremas ad Semipelagianos voces repetam, quibus librum de dono perseverantia conclusit: Qui vero, inquit, errare me existimant etiam atque etiam DILIGENTER quæ sunt dicta, considerent, ne fortassis ipsi errent. Non tantum dixit diligenter, sed etiam atque etiam diligenter scripta abs se iisdem consideranda, inculcavit. Jurarene ipsis etiam atque etiam diligenter tradidram à S. Doctore sententiam considerasse? Si id etiam injuratus affirmares, in dubio facti plerisque non testis, sed potius ariolus videreris.

## A N O N Y M U S.

Porrò nullam adhuc expressam Ecclesiæ definitionem in Semipelagianos fuisse illorum tempore, de quibus loquimur, disertè pluribus locis affirmat Norisius, ut diximus. Ergo ut aferat, non potuisse horum errorum sive ignorantiam else invin-

, cibilem, supponi necesse est, jam tunc talen fuisse, opinionis contraria evidentiam, ut nullus ejus temporis Doctor impugnare hanc potuerit, nisi malâ fide, aut errore prorsus voluntario. Sed hanc suppunctionem quomodo probaret Norisius? Pag. 22.

## R E S P O N S I O.

Am superius ostendi S. Augustinum ad quartum ferè annum initi Episcopatus, Semipelagianorum sententiam tenuisse, idque nec malâ fide, nec errore prorsus voluntario, sed involuntario directè ac bona fide, & ex ignorantia vincibili, cum reapse eandem ille superaverit. Illa ignorantia est invincibilis, quam homo quocumque studio, qualibet navata diligentia, ac omni adhibita consideratione superare non potest. Quarè cum Augustinus eam diligentiam atque advertentiam, quam postea adhibuit legens illa Apostoli 1. Cor. 4. uti fatetur in lib. de Prædest. Sanctorum cap. 3. & 4. ac errorem agnovit, potuerit etiam antea Episcopatum eidem textui intelligendo impendere, ejusdem ignorantia fuit planè vincibilis. Fortasse dices tunc remotè tantum, non autem proximè fuisse vincibilem, Nihil dicas. Nam quoiescumque Augustinus potuit illam advertentiam habere, potuit proximè ignorantiam illam vincere; atqui etiam antea Episcopatum, vel initio Episcopatus potuit illam advertentiam habere; igitur etiam tunc potuit proximè illam ignorantiam expellere. Ita præceptum dici nequit homini impossibile; quia licet quandoque non habeat potentiam proximam, sed tantum remotam; habet tamen potentiam proximam orandi, ad impenetrabilem proximam etiam potentiam præcepti faciendi. Quarè cum Augustinus antea Episcopatum habuerit potentiam ad poneandam illam diligentiam, ac ad orandum Deum pro verâ cognitione obtinendâ, non fuit ignorantia illa invincibilis, uti nec præceptum dicitur impossibile.

Quod vero video te passim urgere, quod Norisius scripsit Semipelagianos illatâ luce, oculos obstinatissimè clausisse, ne viderent, non nihil hac de phrase dicendum est. Augustinus lib. 1. Oper. imperf. num. 67. Julianum arguens, ait: Tu contraria clarissimam veritatem oculos claudis. Nempe Julianus illa D. Paulus ad Rom. VII. 15. Non enim quod polo bonum, hoc agos sed quod odii malum, illud facio, contendebat dicta à Paulo induente personam peccatoris, criminum consuetudine ad malum inclinati. Ita Origenes, Chrysostomus, Basilius, Hieronymus, aliquo apud Cornelium à Lapide textum illum Pauli interpretati fuerant, uti ipsem etiam Augustinus in lib. quæst. ad Simplicianum, quæst. 1. At idem doctior postea fatus, adeo asseveranter pronuntiavit Apostolum ibidem de semetipso locutum fuisse, ut lib. 6. contraria Julianum cap. 11. scribat: Sed postea melioribus & intelligentioribus cessit, vel potius ipsi, quod fatendum est, veritati, ut viderem in illis Apostoli vocibus gemitum esse Sanctorum contraria carnales concupiscentias dimicantium. Hinc patet, quod cum ea exposito posterior, videretur vera ac legitima Augustino, idem dixit Julianum aliter exponentem, nec adnotarem hac etiam alterâ ipsi probata interpretatione Pelagianum errorum refelli, contraria clarissimam veritatem oculos claudere. Cum Semipelagiani veritati tot Theologis iisque planè invictis, rationibus ab Augustino comprobatae, resisterent, Norisius Augustini recitatâ phrase usus, dixit eosdem illatâ ex Augustini libro plurimaluce, oculos obstinatissimè clausisse, ne viderent. At enim iterum, si lubet, considera quantam evi-

## RESPONSIΟ

dentiam suæ sententiaë S. Doctor attribuat. In lib. 1. de Prædest. Sanct. cap. 20. ait: *Quid est enim, Orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi, nisi apertissima demonstratio, etiam ipsum initium fidei esse donum Dei?* In cap. 5. ait esse banc Apostoli evidenterissimam intentionem; & in fine adversarios profecto contradicere huic apertissimæ veritati: & cap. 4. liquidissimam veritatem esse testatur. Qui non cedit apertissimæ demonstrationi: qui resistit evidenterissimam intentioni Apostoli: qui non videt veritatem apertissimam & liquidissimam, is Norisio aut cæcus est, aut oculos sibi claudit. In fine cap. 13. scribit de Semipelagianis: *Dici enim non potest: quam moleste feram, quod videbunt Pelagiani esse falsissimum & absurdissimum, hoc non vidi istos, qui nobiscum errorem illorum hereticorum Catholicæ autoritate condemnant.* Qui non viderunt quod Pelagiani recte observarunt, Norisio aut cæci, aut oculos sibi claudentes dicuntur. Vides tu quo eos nomine appelles. In fine cap. 14. tradit à Semipelagianis id adstrui, quod non dico crediturum, sed somniaturum neminem putaremus: Ita eas Massiliensium chimeras ne quidem oculis clausis dormientibus inter inania phantasmatu occurrasare posse putavit. Et cap. 13. ait: *Attendant & videant. Quæcavero, ecce illi non videbant?* Respondet in literis ad Augustinum: *Qui persuasiōnē suā impediēbantur obscuro lecto libro S. Augustini de correptione, & gratia, aversores, quām fuerant, recesserunt.* Amor nimius erga semel conceptam opinionem, illorum mentem obscurabat, & ut Norisi phrasē utar, obcæcatis similes faciebat, cujusmodi sunt qui oculos claudunt, ne videant. Sed de his haec tenus, siquidem plura hac de re superiori mihi observata sunt, ac jam prænotavi eam phrasim esse apud Norisium emphaticam, quam etiam ut augeret, adverbium *obstinatissime* addidit, quod tamen apud Latinæ linguæ magistros non legitur. Num verò fuerint obstinati in semel imbibito errore, mox ex Augustino ac Prospero intelliges.

Contexis pag. 23. indicem plurium quæstionum, quas S. Augustinus contrà Pelagianos agitavit; quarum nonnullæ profundiores difficilioresque appellantur initio appendicis ad Epistolam S. Cœlestini Papæ, quas etiam Araucana Synodus, quæ motu in Galliâ de gratia divinâ controversiarum fluctus composuit, intactas reliquit. S. Doctor uno & altero peculiari libro de initio fidei, ac de dono perseverantiae contrà Semipelagianos disputavit. Hic verò ait, Norisium non dubitare, quin aperta sit & omnino vera S. Augustini sententia v. g. de prædestinatione ad gloriam antè prævisa merita: *de gratia ex se efficaci: de reprobationis causâ ex peccato originali: de discrimine adjutorii in statu innocentiae, & naturæ lapsæ &c.* Tum petis an is, qui in his quæstionibus contraria Augustinianæ sententiam defenderunt, ac modò etiam defendant Theologi, serio ac sincere veritatem inquisivisse dicendi sint, vel potius oculos de industria clauserint, ne viderent. Et pergis:

## ANONYMUS.

» **A** Ut igitur hos quoque reos faciat Norisius affectatæ ignorantiae, penitusque voluntariæ, obstinationis; aut fateatur veteres quoque potuisse bonâ fidei, ex involuntariâ & inculpabilis ignorantia errare; cum nulla adhuc extaret Ecclesia decisione, nec major esset contrà hos, quām sit contrà illos veritatis evidētia &c. Pag. 24.

**J** Am toties dixi, quod tu ne semel quidem advertisti, quamvis advertere potuisti, veteres Massiliensis Semipelagianæ scholæ Doctores bonâ fide ac directe involuntariâ ignorantia errasse, eam tamen fuisse vincibilem, indirecte voluntariam, simulque inculpatam, quia verabatur circa id, quod nondum fuerat ad Ecclesiæ definitum. Quod fuerit vincibilis, probavi ex Augustino, qui cùm in libro de Prædest. Sanct. cap. 3. ostendisset semet ad annum usque quartum sui Episcopatus, fuisse in eadem Semipelagianorum sententiâ, cap. 4. scribit: *In quā sententiâ istos fratres nostros esse nunc video, quia non sicut ligeremus libros meos, ita etiam in eis curaverunt proficeri mecum.* Nam si curâsset, invenissent istam quæstionem secundum veritatem divinarum Scripturarum solutam. Cum ergo Massilienses lectione librorum posteriorum S. Augustini potuissent proficer ad assequendam veritatem, nec curaverint proficer, diligentiam maiorem ac intensius eam in rem studium omiserunt, unde illorum ignorantia fuit reapse vincibilis, ac indirecte voluntaria. Utì verò major diligentia auget lumen internum ad cognoscendam veritatem; ita eandem omittere, est Norisio, si vis intelligere, habere oculos clausos, ne veritas perspiciat, quæ cā majori diligentia adhucit, facile perspici potuisset. Accesserunt illi ad posteriores libros S. Doctoris legendos, sed animo errore præoccupato, ac conceperat semel opinionis studio in oppositam partem non dicam propenso, sed planè inclinato, cœcoque amore sectæ sive scholæ in oppositam Augustino sententiam, depresso. Hoc quoque objectum ab ipsis impedimentum in causa fuit, ut eorumdem ignorantia indirecte fuerit voluntaria, ac proinde vincibilis. Quod aliás quæstiones ab Augustino discussas, ad huc tamen nostrâ etiam ætate controversiae subjectas, cum celebri illâ de initio fidei consers, haud est similis inter utrasque comparatio, & in quibusdam eadem omnino ratione refelleris. Ex iis quas appellasti, celebriorem fecerno de divinâ prædestinatione ad gloriam, nam ex illâ S. Augustinus efficaciam gratia deduxit. Porò duo in quæstionem apud Theologos vocantur. In primis an S. Augustinus docuerit prædestinationem antè præscientiam meritorum. Deinde etiam si id affirmaverit Augustinus, an vera sit ejusdem sententia. Gabriel Vasquez, quem alii secuti sunt, contendit S. Doctorem locutum solummodo de prædestinatione ad primam gratiam, sive ad initium fidei contrà Semipelagianos. Ac Petavius tom. I. dogm. Theol. lib. 9. cap. 6. evidenterissimis Augustini testimonis demonstravit, S. Augustinum statuisse etiam prædestinationem ad gloriam ante prævisa merita, ita ut Recentiores oppositam sententiam sustinentes, ingenuè fateantur, S. Doctorem oppositæ sententia adhæsse. Enim verò negare nequis, Vasquium potuisse ad assequendum eā in quæstione Augustini sententiam eadem majori uti diligentia, quam postea Petavius impedit. Hinc Vasquium vincibilem ejus rei ignorantiam passus est, quæ illi tamen fuit directe involuntaria, bona fidei, & inculpata. Si quis verò mente semel imbibitâ sententia de prædestinatione post præscita merita, ad Augustini libros accedat, non ut animo sincero S. Doctoris sententiam assequatur, sed ut violentis interpretationibus Augustinum sicut in opinionem trahat, is sanc & malâ fidei, ac ignorantia affectata suam ipsius sententiam Augustino adscribet. Quod verò spectat ad veritatem sententia de prædestinatione R ad

ad gloriam ante prævisa merita, illa quidem probabilioribus apud S. Augustini ac S. Thomæ discipulos argumentis innititur, sed non iis, quibus nulla utcumque probabilis responsio ab adversariis reponi posset. Hinc factum est, ut eadem quæstio sit de re adiaphorâ, neque ad dogma pertineat. Certum est aliter utram sententiam esse falsam; quia prædestinationem nequit esse, & non esse cædem consideratione ante prævisa merita. Quarè & alterutrius argumenta sunt necessariò falsa ac sophistica, & consequenter ex ignorantia veri procedunt; quæ tamen ignorantia culpe non vertitur, quia est circa rem nondum ab Ecclesiâ definitam; unde ad peccatum tollendum, cum nullum sit, perperam obtrudetur invincibilitas ignorantiae. Hac ratione ostendimus, veteres Semipelagianos asserentes initium fidei ex nobis esse, & non ex Dei gratia, nullum peccatum commisisse, quia erat id temporis res quæstionis, non dogmatis; quamvis eorum ignorantia fuerit vincibilis, ut pluribus exposui; & patet ex characteribus ac notis, quibus Augustinus apertissimam suæ sententiam veritatem designavit, qui quasi indignatus Massilienses rem in tanto lumine abs se collocatam, nondum vidisse, in fine cap. 20. de Prædest. Sanct. ait: *Et adhuc tam bonis ingenii sic loquimur quasi obtusis, quibus & quod nimium est, non est sat.*

## A N O N Y M U S.

**C**erte hos ipsos ex Semipelagianis, qui ad Concilium usque Arausicanum II. tales extiterunt, quo veritas integri scelbi disputationibus eliqua, faciliter deprehendi poterat; hos ipsos, inquam, adhuc tamen bonâ fide, non studiosâ observatione, errorem propugnasse, ex eo admodum probabiliter concludi potest, quod hujus Synodi, decretis à sanctâ Sede comprobatis, sine morâ ac quieverunt, sic ut nulla deinceps Semipelagianismi vestigia apparuerint. Pag. 35.

## R E S P O N S I O.

**L**udovicus Cellotius Gallus è Societe scriptor tibi fortasse faciet satis, qui lib. 2. Hist. Gotteschalcii cap. 4. §. un. pag. 99. scribit: *Tu doctrina pravitate more vis infici, quasi tum & antea penitus potuerit vivere, qui malè seniret: quod ego de Semipelagianis perngeo, quorum sanctitatem vita ipsi doctrina hostes agnoscunt, & laudent; et si chronicam tuam, & historiam mentem placet concutere (da quoquo aures) invenies peculiare illud Semipelagiano errori fuisse, nullum ut habuerit hereticum professorem, cum qui sunt illum professi, ante condemnationem Christiano Orbe publicatam, & admissam, vixerint; qui autem postea vixerunt, illum repudiarunt. An non hic eruditus Auctor Norisius similiter prædocuit? Ille in Semipelagianis sanctitatem vita cum pravæ doctrinæ errore conjungit. Rursus errorem non ab ipsorum ignorantia invincibili, ut tu contendis, excusat; sed quia, que, madmodum Norisius scripsit, ante condemnationem Christiano Orbe publicatam, vixerere. Hæc certa ac solida est ratio, qua illi hæreticos nota eximuntur, quam præclari quinque Scriptores in hac ipsa causâ adhibuerunt, & i quidem quibus vetustioris Ecclesiæ monumenta perspecta erant. At tu ignorantiam invincibilem à quibusdam Neotericis eam tam scepse in Morali Theologiâ obtrudentibus, mutuatus, ejusdem prætextu Semipelagianorum sanctitatem necessariò defendendam esse putasti: cum tamen ejusmodi ignorantia de hæresi, simulque peccato, excusat quos-*

cumque, qui sive ante ejus erroris publicatam condemnationem, sive post eundem latâ ab Ecclesia lege proscriptum, invincibili ignorantia laborassent, si ipsorum mentibus reapse talis ac tanta incubuerit.

## A N O N Y M U S.

**Q**uis enim credit, si ex eorum numero forent, qui quamvis plurimâ luce illatâ oculos claudunt, ne videant, eos tam dociles, tam promptos ad ejurandum errorem futuros fuisse; ac non potius recyruros ad consuetas hæreticorum cavillationes, ut Ecclesiæ decreta tergiversando eluderent &c. Pag. 25.

## R E S P O N S I O.

**I**lli aversabantur veritatem plurimâ luce invictorum argumentorum ab Augustino demonstratam, & absurdarum cavillationum caligine eandem obscurare nequicquam conabantur. Cum enim, exempli causâ, S. Augustinus argumentum urget à parvulus ductum, quorum aliqui sine propriis meritis baptizati, salvantur; alii vero sine baptismo decedentes, damnantur; unde cap. 12. de Prædest. Sanctorum inferebat, gratiam non dari secundum merita, dicens id evidenter divinorum eloquiorum testimoniis asseri; Semipelagiani respondebant, parvulos illos salvari, quos Deus præsciebat sanctè victuros fuisse, si diutius superstites remansissent; alios vero damnari, quos Deus prævidebat, vitam peccatis obnoxiam acturos, si diuturnius vivere permisisti fuissent. Et ab Augustino objectum effatum Sapientia IV. 11, Reptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, tanquam non canonicum respuebant, teste Hilario in Epistola ad S. Doctorem. Hic in laudato libro cap. 14. demonstrat quantæ auctoritatis semper fuerit in Ecclesiâ liber Sapientia, & cap. 12. de absurdo illorum responso scribit: *Unde opinari potuerint homines, quorum ingenia non esse contemptibilia vestra indicant literæ, mirans & stupens reperiere non possum; nec credere auderem, nisi nobis non credere non auderem; sed spero assutum Deum, ut communiti citio videant &c.* At illi semel imbibitæ opinionis amore, ac Augustinianæ odio obsecrati, & si vox ista displaceat, correpti, in tantâ luce nihil videre voluerunt. Hinc qui ex Lirinensi Monacho & Abbatore, Reorum Episcopus evaluit, Faustus Semipelagianæ sectæ suâ ex parte antesignanus, lib. 1. de lib. arb. cap. 14. Augustiniani argumenti vim hisce verbis non elisit, sed delusus, inquiens: *Serpentina fraudis est, ad tenellas cavernas relittâ luce, transfugere. Videsis quid ille aut viderit, aut videre noluerit, dum Augustinum splendidissimam lucem importantem, ad tenbras confusisse calumniatur.* Addit: *Quid ratio[n]is est, ut interrogare pelis oculata, cum solicitudini tua plenissime videoas respondere manifesta?* &c. Materiali de liberi arbitrii ratione proponis, & ad discutendum insistantiam statum perniciose errore dilaberis? Hinc patet, quantæ illi pertinaciæ assertæ semel opinioni adhærerent, ut ea absurdâ paradoxa comminisci cogerentur, quæ Augustinus vix credebat ab hominibus rationis usu pollicitibus affirmari. Quamvis autem veritati ab Augustino demonstratae restiterent, eandem tamen à Synodo Arausicanâ, ac ab Apostolica Sede assertam amplexi sunt, quod profitebantur sequi ac probare ea tantummodo, quæ sacra tissima beati Apostoli Petri Sedes contrâ inimicos gratia Dei per ministerium Praesulū suorum sanxit, & docuit: cap. 3. additorum Epistolæ S. Cœlestini Papæ Hilarius

Hilarus in Epistola ad S. Augustinum de Semipelagianis scribens ait cruciari se *perviciacū querundam*, qui non tantum manifesta respouunt, sed etiam non intellecta reprobentur. Manifesta respugere, est Norisius claudere sibi oculos, ne videant. Qui verò non intellecta dicta Augustini re reprehendebant, nec illi quidem invincibilem ignorantiam patiebantur, cum non pauci ibidem essent, qui illis facile S. Doctoris sententias explicare potuissent.

## A N O N Y M U S.

**N**on omnis pervicacia vel obstinatio cum bona fide aut sanctitate pugnat. Quisquis in ejusmodi controversiis falsam tuerit opinionem, nec veris rationibus in oppositum acquiescit; ille hoc sensu pertinax vocari potest, quod reyeret sui iudiciorum nimium tenax sit, sed non semper ejusmodi pertinacia est voluntaria & affectata. Cum Viris, alioqui sanctissimis sèpè contigerit, sic ad errorem diutissimè adhædere non sponte suā, sed invitis, ac veri specie & alterius odio deceptis. Illa verò haud dubiè culpabilis & inexcusabilis pervicacia est, illatā luce oculos claudere, ne videas, id est, veritatem aperte propositam adhuc contradicendi studio impugnare &c. Igitur nihil est in illa Prospere Epistola, quo suam adversus eos censuram tueri possit Norisius: nec magis hac auctoritate, quam argumentatione suā probat, non invincibillem, sed voluntariam & affectatam illorum ignorantiam fuisse. Pag. 26.

## R E S P O N S I O.

**H**ec tua mantissa à falsa imaginatione deducta, & per varios errorum fractus circumacta, ad erroneum caput redit, eoque concluditur. Nam ignorantiam, quae non est invincibilis, esse putas voluntariam & affectatam. Hoc falsum esse ostendi. Itaque Semipelagiani fuere in semel conceptā erroneā opinione obstinati ac pervicaces, uti Prosper & Hilarius, qui cum iisdem disputatione, testantur; at citra culpat, quia resistebant, ut toties dixi, veritati ab Augustino quidem demonstrata, sed nondum ab Ecclesiā asserta. Nec illi suam opinionem exapse erroneam, & oppositam S. Augustini sententiam veram esse certò cognoscabant; alias fuissent inexcusabiles, qui volentes, ac scientes errori, repudiata veritate sibi ipsis perspectā, adhæsisserint; sed cum eam quam poterant ad veritatem assequendam diligentiam non adhiberent, semel etiam imbibitā opinonis amore corrupti, non tantum collocarent studii, quantum tantæ rei cognoscenda necessarium erat, iudiciorum ignorantiā vincibili laborasse jure ac merito Norisio dicuntur. Scribis Viros sanctissimos sèpè ad errorem adhæsisse, oppositæ veræ sententiae odio deceptos. At odium est prava animi dispositio, quæ impedimento est, ne contrariæ sententiae veritas diligentius perquiratur, eoque odio sit, ut ma-

jori conatu errori uterunque defendendo, incurbatur. Qui veritatem sedulus investigat, is duas inter opiniones invicem adversas, odii & amoris causas procul habeat, oportet, ut superius admonui. Itaque voce illa unica *odii*, ignorantiam invincibilem, quam tanto hactenū scrupulorum apparatu stabilire conabare, in dubium revocasti. Augustinus in lib. de Præfet. Sanct. cap. 20. sribit Semipelagianos nihil dicere, & tamen contradicere. Illi ergo convicii erant rationibus S. Doctoris, & cùm respondere non possent; adhuc tamen contradicabant. Vides tu cujus generis, aut speciei sint ejusmodi obstinatio ac pervicacia, quam utramque illis S. Prosper & Hilarius attribuunt. Norisius homines probatā ab Augustino veritate convictos, & adhuc contradicentes, dixit illatā luce, oculos sibi clausisse, ne viderent. Sanctus Doctor lib. 2. contrà Epist. Parmenianī capite 21. sribit; *Statim quippe amore sententia sua contrà veritatem oculum clausit.* En ipsam adhibitam Norisio loquendi formulam. Semipelagiani amore propria sententia, simulque, quod tu quoque fatiris, odio alterius oppositæ ferè obsecrati, manifestatam ipsis ab Augustino veritatem nullatenus agnoverunt. Si quid vides, non dubito, quin obsecrati tibi sint, qui oculos habent clausos. Illo amore, illo odio præoccupati, majorem diligentiam in ponderandā S. Augustini sententia, omiserunt; unde ignorantia vincibili laborarunt, quæ tamen nec mala fidei orat, neque affectata. Si hac de re consulas Reverendissimum P. Thyrsum Gonzalez: is in præclaro opere de recto usū Opinionum probabilium, Dissert. 3. cap. 2. num. 19. hæc tibi suggeret: *Iste affectus erga unam sententiam, unum avertit à contradictione, & est in causa, ut intellectus leviter tantum, & cursim ejus fundamenta inspiciat &c.* Hinc Augustinus veritus, ne Massilienses nimio erga suam ipsorum opinionem affectu præoccupati, allatas abs se ex adverso rationes leviter tantum ac cursim inspicerent, nec attentiori studio illarum vim ac momenta penderent, eosdem, ut prædicti, in fine libri de dono perseverantia serio monebat, ut etiam atque etiam diligenter abs se probata considerarent. Num id illi præstiterint, cùm res facti sit, in dubio cubat. Illorum tamen sanctitatis defendenda rationem à Norisio initam, prater tot antea mihi laudatos Scriptores, sequitur etiam Gabriel de Henao, qui initio tom. 1. Scientiæ med. defen. in Prost. pag. 7. num. 28. Faustum Rejensem excusat, quia antecessit Synodus Aurasicanam II. quæ toti de gratiâ & libero arbitrio controversia exerceit a utrinque centum amplius annis inter sanctissimos & doctissimos in Gallia Viros, finem tandem imposuit ex S. Augustini doctrina, & Apostolicæ Sedis approbatione. Quo cum fine Semipelagianorum contrà S. Doctoris sententiam disputationibus tandem statuto, nostræ quoque ad quorundam illorum sanctitatem defendendam rationes utinam eum exitum sortiantur, qui tuis quoque scrupulis finem imponat.